Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2277

Quelle:
Copyright:

na, ut pronuntiavit *J. Cph. Wagenſeilius*, cacatum. Incipit is: *Principium generationis ipſius Jeſu hanozeri. Miriam mater ſua mijſrabel* (מישראל) *id eſt, ex iſrael fuit et fuit aros* (ארושה) *id eſt, deſponſata cuidam de ſemine regio de domo Dauid, cuius nomen rabi Jochanan, id eſt, Johannes et fuit iſte magnus baal* (בעל) *id eſt, magiſter thora* (תורה) *id eſt, doctrine legis, hic valde timuit deum, et fuit quidam eius ſchachen* (שכן) *id eſt, vicinus ex oppoſito Janue domus Miriam videlicet illius, et ipſa fuit pulcherrima aſpectu, et nomen eius* (nempe vicini) *Joſeph ben* (filius) *pandera, et hic iniecit oculos ſuos in eam in nocte quadam ſabbati.* Verum ſatis mota Camarina. Infame hoc Scriptum jam Sec. XIII. notum fuit *Raymundo Martini* O. P. *Hiſpano*, qui P. II. c. 8. *Pugionis Fidei adverſus Mauros et Judaeos* edit. *Lipſ.* 1687. p. 362. locum ex eo recitat, quin tamen ediſſerat titulum. Locum hunc, ut varia alia, in ſuam *Victoriam adverſus impios Hebraeos* deinceps a. 1520. *Pariſiis* impreſſam inſeruit *Porchetus Salvaticus* Carthuſ. *Genuenſis* Sec. XIIII. Poſt Sec. XV. medium magis cognitum fuit *Petro Nigro* O. P. *Germano*, quoniam in *Tractatu contra perfidos Judaeos* &c. *Eſtingae* a. 1475. excuſo p. 64. ipſum ejus refert titulum: *Sefer Toldoth Jeboſchua Hanozeri.* Seculo demum XVI. Exemplar ejus hebraicum poſt multos conatus obtigiſſe *Sebaſt. Münſtero* teſtis eſt *Wagenſeilius.* Atque iſtud Exemplar lapſu temporis apud *Helvetos* ad *Joh. Buxtorfium* devolutum, id eſſe ſuſpicor, quod tandem cum verſ. et not. *Joh. Jac. Huldrici Tigurini* in lucem emerſit *Lugd. Bat.* 1705. 8. Praevertit tamen *Huldricum* a. 1681. memoratus jam *Wagenſeilius*, qui, ut ait in Praeloquio, Exemplum magno labore, ſummoque pretio nactus id P. II. *Telorum igneor. Satanae* publicavit *Altdorfii Noricor.* 4. Aliorum circa peſtiferum hunc Foetum Judicia, Conſilia, Promiſſa habes in *J. Cph. Wolfii Bibliotheca Hebr.* P. II. p. 1443. P. III. 1222. P. IV. 1065. Confer etiam P. I. 982. Verum, qui omnium horum Virorum indagationes hactenus effugit, noſter eſt, ne lectorem ſuſpendam diutius, *Thomas Haſelbachius* aetate ipſum *Petrum Nigrum* antegreſſus, atque adeo primus των Toledoth μεταφρασης. Audiatur ipſe; ita enim Refutationem ſupra memoratam orditur: *Ad honorem dei et fidei orthodoxe exaltacionem nec non et detectionem errorum Judaice prauitatis ego thomas de haſelpach, poſtquam dei et cuiusdam Neophiti in hebrea lingua ſatis periti fretus auxilio precedentem tractatum in latinum conuerteram, cenſui et Judeorum mendacia in ſequentibus amplius enodare. Ad ſciendum ergo falſitates filiorum alienorum, Judeorum ſcilicet oberrantium, quorum eos loquitur mendacium et dextera eorum plena eſt falſitate, ideo preſens libellus intytulatur Auen Hajehudim* (און היהודים)